Nikolaus [Hrsg.]; Koch, Josef [Hrsg.]; Heidelberger Akademie der Wissenschaften / Philosophisch-Historische Klasse [Hrsg.]: Sitzungsberichte der Heidelberger Akademie der Wissenschaften, Philosophisch-Historische Klasse (1938/39, 4. Abhandlung): Die Auslegung des Vaterunsers in vier Predigten
Heidelberg, 1940 Seite 14

tionis aut omni modo principiandi. Addit „tu qui es“. Si igitur Pater unus est, quia dicit „tu“ et „ille qui est“, manifestum est omnem pluralitatem eorum quae sunt ab ipso Patre unico esse. Et ad hoc, ut adhuc clarissime videas illius Patris unici, qui est, naturam fecundissimam incomprehensibilem, addit ipsum esse et „in caelis“. Quomodo igitur est unitas in se absolute et in pluralitate est omne id quod est pluralitas, ita hic dicit unum Patrem esse in multis caelis. Dicit notanter „caelis“ potius quam elementis, ut cognoscamus quod suprema et perfectissima natura quae caeli nomine designatur, quae in multis caelis est, non habeat esse nisi ab esse uno quod in ipsa est, scilicet Patre. Et nihil est per nos de Patre perceptibile quod ibi in illo sermone non contineatur.

27. Deinde sequitur: „sanctificetur nomen tuum“. In qua brevissima oratione continetur omne id quod de Filio seu Verbo intelligi per nos potest. Est enim ipsum nomen, si est nomen verissimum, necessario aequale nominato. Et quia dicitur „nomen tuum“, patet quale est nomen Patris, quia est imago, splendor, infinita aequalitas Patris. Docet igitur Christus per cognitionem Patris cognoscere eius nomen, ut per nomen cognoscamus Patrem. Instruit, ut hoc nomen, quod est Veritas et Sapientia aeterna, „sanctificetur“. Hoc autem est, quando influitur nobis intellectualiter a Patre; tunc enim quando influxum ceperimus per conversionem intellectus ad ipsam Sapientiam, tunc enim quando ipsam intellectualiter videre incipimus, sanctificatur, quia nihil intellectus potest plus magnificare, laudare et sanctificare quam infinitam Sapientiam. Aliud enim non potest intellectus purus praeferre Sapientiae et Verbo Dei, sicut oculus nihil potest praeferre pulchro etc.

8. addit *post* caelis$_1$ *add. et del. Cus.* terra, aqua, aere et igne *post* quam *add. et del. Cus.*
9. naturarum(?) *post* perfectissima *add. et del. Cus.* caelo *post* quae *add. et del. Cus.*
10. habeat *ex* habent *corr. Cus.*
13. quibus *post* In *add. et del. Cus.*
18. petit igitur *post* Patris *add. et del. Cus.*
24. tanquam *post* sanctificatur *add. et del. Cus.*
27. praeferri *Cus.*

1—2. *cf. Sermo 18 n. 8, p. 32, 2seq. Ex hoc loco patet CUSANUM hunc Sermonem concepisse, ut eum populo lingua vernacula praedicaret.*
5. *cf. l. c. n. 9, p. 32, 6seq.*
6. *cf. l. c. n. 7, p. 30, 14seq.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.hadw-bw.de/view/sbhadwphkl_1938_1939_4/0014
© Heidelberger Akademie der Wissenschaften
HEIDELBERGER AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN